

Bibliothèque numérique

medic@

**Midy, Jean - candidat / Payen, Charles
- président. - Est-ne eadem in ossibus,
quae in aliis partibus nutritionis ratio
?**

1736.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2328 n°48***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)


Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax07x0048

Decanatus

M^r. Ludovici claudii Bourdelins

a Die tertîa mensis Novembris anni 1736
ad Diem Octavam mensis Novembris 1758.





DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO.

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quintâ
Novembris, anno M. DCC. XXXVI.

M. CAROLO PAYEN,
Doctore Medico, Præsidente.

Est-ne eadem in ossibus, quæ in aliis partibus nutritionis ratio?

I.



UTRITIO est illa incrementi species, quæ partes tum in longum, tum in latum extenduntur, & apposita atque accreta ad interiores vasorum parietes materia firmantur. Huic operi assidue & indefinenter allaborat Natura, successu vario pro diversa ætate. Quovis tempore eadem est operationis ratio. Effectus diversitas pendet à diversa liquidorum vi, diversoque solidorum renixu. In crescentibus, solidæ partes, molles ac teneræ, fluidorum impulsui cedunt. Tunc ab adjectis particulis nutritiis vasa elongantur, ampliantur. Continuata nutritione solidis partibus firmitas accedit,

quæ aucta sensim eo progreditur, ut fluidorum impulsui æquivaleat. Tunc ultima vascula non amplius dilatantur, elonganturve, sed appposito nutrimento impleri occipiunt. Sic quod prius vas erat ex pluribus fibris contextum, evadit fibra unica, ideoque fortior : & in hoc statu, quem *consistentia* appellare liceat, partes non crescunt amplius. Jugi tamen nutritione, novis semper coalescentibus vasculis, addensatæ fibræ roborantur in dies, & totius corporis vigor augefcit, donec compluribus vasorum ramulis oppletis, nimium solidatæ fibræ, jam non flexiles, rigidæ evadant. Tunc decrefcunt vires, status est *decidentia*, qui in mortem mere naturalem definit, quum ubique indurata solida, liquidis præpollent, iisque vias intercludunt. Ultima ergo vascula primum occallescent. Sic in minimis vasis totam nutritionis opus peragitur : sententia quidem oppugnata non semel, sed cui fidem facit expositus jam incrementi progressus. Certe nutritias particulas non irruere, sed allabi necesse est. Citatori motu in majoribus vasis liquida aguntur. Ad hæc, ut majus vas nutriatur, minora, ex quibus componitur, vasa nutriri sufficit. Atque nonnisi per minutissima vascula vegetabilia aluntur. Jam in nutritione tria consideranda sunt : nutritii succi indoles, nutriendarum partium natura, nutrimenti appositio & accretio.

I I.

QUISQUIS nutritionis opus sub triplici hoc respectu perpendere non studuerit, in errorem delabatur. Fuerunt nonnulli qui de succo nutritio nihil curarent. Partium incrementum duxerunt à simplici, quod aiunt, vasorum evolutione : ipsamque nutritionem à sola eorundem repletionem, novo semper influente humore, nec ullibi adhærescente. Porro huic opinioni observatio refragatur. Cresceret quidem Embryo ex simplici evolutione ; sed nulla crescenti firmitas accederet. Evoluta autem vascula solo cujusvis liquoris influxu repleri quidem possunt, sed non crassescerent tunica ; imo molliores fierent, prout vascula evolverentur magis. Nec in sene fibræ, quam in fœtu, duriores observarentur : è contra in Embryone nondum evolutæ partes, pressiores proinde, longe forent durissimæ. Forent inutilia prorsus tot diversa alimentorum genera. Vasa, quibus, ut essent nutrita, sufficeret repleri influente humore quolibet, solo simplicis aquæ haustu probe nutricarentur. Habenda itaque succi nutritii ratio. Neque succus quilibet sustentandis partibus idoneus est. Solus ille pro nutritio haberi posse videtur, qui in tenuissimum rorem resolvi aptus, concrescere nihilominus potest, & solidari. Quale observatur in formatione pulli *colliquamentum*. Nunc, nisi partium nutriendarum natura inquiratur, vix poterit error declinari. Sic, qui harum partium nullum discrimen fecêre *, eo usque rapti sunt, quo, dum nutritionem ubique peragi asserunt, fateri cogantur esse in felle, urina, aliisque excrementis, unde cystis fellea, vesica, &c. possint nutriri ; ipsumque aërem partibus suis ramosis & flexilibus, reparandis vesiculis pneumonicis non tam alienum esse, ac prima fronte videtur. Denique ut compleatur nutritionis idea, indagare oportet, quomodo alibilis materia intimis vasis apponatur, & accrescat. Secus, expugnata jam, de sola ad nutritionem vasorum repletionem, opinio redibit. Quum igitur ex recensitis tribus capitibus, natura partium nutriendarum, succi nutritii indole, ejusdem appositione & accretione, tota nutritionis res conficiatur ; consequens est, ibi eandem esse nutritionis rationem, ubi hæc tria eadem sunt.

* Dissert.
physiolog. de
nutritione
propugnata.
Monspelii,
anno 1727.
Auct. D.
HAGUENOT.

I I I.

ATQUE ut eodem ordine aggrediamur, eadem est in ossibus, quæ in aliis partibus nutriendorum staminum natura. Id quidem prima fronte paradoxum. Veritati tamen consonum videbitur, si partes in incrementi sui primordiis considerentur. In Embryone vasculosa omnia, omnia mollia sunt : & ipsa ossium rudimenta, nullius videntur firmitatis. Progrediente vita, diversæ diversis in partibus mutationes fiunt. Quæ citius nutriuntur, solidantur citius. Annis labentibus, membranæ in cartilagine, cartilagine in ossa abeunt : neque membranarum aut cartilaginum naturam conciperet, qui has partes in tali *ocallationis* statu consideraret. Ossa mature præ cæteris partibus à nutritione capiunt incrementum. Ergo ut in illis nutriendorum staminum natura cognosceatur, in prima sua mollitudine examinanda sunt. Tunc porro nullum inter quascumque partes discrimen observatur. Profecto ab eodem principio protenduntur omnes. Ex cerebro spinæque medulla prodeunt, & exporriguntur filamenta, ut reliquarum partium, ita ossium proxima materies. His enim filamentis, cuncta ex aquo intertextuntur. Nervosa proinde omnia. Ergo ubique nutriendorum staminum natura eadem. Eadem etiam ubique alibilis succi indoles. Nam filamenta illa totidem sunt tubuli, quibus succus idem ad omnes omnino partes defertur, eadem ratione applicandus ; nisi quod promptius increcant quæ toti compagini fulcimentum præstitura sunt.

I V.

ABSONUM non est è mucosis staminibus solidissima ossa exsurgere. Neque absonum tantam firmitudinem liquore per vascula adeo tenuia allato conciliari. Tenerrimum est Quercus nascentis germen. Tenuissima, & tubulorum nerveorum instar, insensilia vascula, quibus transmissio humoris arbor durissima tantum acquirit stabilitatis. Imo ipsa vasorum exilitas ossium indurationi favet. Prout minora sunt vasa, multiplicantur superficies ; arque propter majorem affrictum, liquor relentescit, in minimis hæsurus, nisi externo impulsu promoveatur. Ergo ubi vasis minimis pauca vel nulla majora interposita sunt, facile in suo canaliculo congelascit humor. Hinc *ossificatio* ad vasorum fines incipit, longe à majoribus arteriarum ramis. In alicujus vasculi extremo succus concrevit : istud vasculi segmentum vasorum adjacentium pressione complanatur, jamque squamula nata est, allabenti à tergo humori obstaculum. Hæret de novo humor, conglutinatur cum vase ; sicque successive à puncto in punctum, vas istud solidescit ; pariterque crescit novarum squamularum series. Eodem modo res eadem pluribus in tubulis sese contingentibus peragitur. Sicque totum os compingitur è squamosis stratis. Neque tamen æqualem duritiem ossa omnia ; imo nec ejusdem ossis partes singulæ, nanciscuntur. Ut neque eadem est in diversis ætatibus singulorum ossium soliditas. Hæc quippe tanto minor est, quanto plura inter osseas squamulas vascula adhuc aperta, & succo turgida remanent. Ideo in junioribus ossa omnia parum habent densitatis ; ut & extrema ossium in adultis. Ideo in senibus ipsa ossium extrema densa sunt, nec fere ullibi diploë observatur. Ideo rursus in junioribus fracta ossa facile, in senibus vix ac ne vix quidem internato callo consolidantur. Omnia hæc quæ de ossibus hucusque dicta sunt, cum cæteris partibus conferantur. Notum est partes omnes in suo principio iisdem, quibus ossa, nervosis staminibus contextas fuisse. Constat ergo universas eodem succo nutriri, qui modo non dissimili apponitur & accrescit.

RE quidem ipsa carnosæ partes in sua mollitie perseverant. At præterquam quod ipsæ carnes progrediente ætate rigescunt, mollitudinem propria textura conciliat. In illis nervosa stamina, numerosioribus & amplioribus vasis sanguineis distinguuntur; ipseque color sanguinis abundantiam arguit. Profecto, nisi à vasorum sanguineorum intersita multitudo nervosum subtemen rareficeret, & nisi singulæ fibræ carneæ stillante ex adiposis cellulis lentore illinirentur, facile in osseam mutarentur soliditatem. Neque alia querenda est ratio cur cartilagine, ligamenta, tendones, periosteum, aliæque membranae in senio durecant. In illis siquidem partibus, nutrienda stamina, nervea scilicet vasa, paucioribus distincta sanguineis, sibi invicem jugiter apprimuntur; osseæque naturæ tanto propiora fiunt, quanto magis ad ossis contextum accedunt. In hoc igitur tota posita est diversitatis ratio, quod ossa celerius, carnes tardius ad nutritionis statum perducantur. Idcirco maturius rigidantur ossa; atque, si dicere fas sit, maturius moriuntur. Nempe superstitæ adhuc in partibus mollibus vitæ motu, ossa non vivunt amplius. Ne tamen ante tempus rigidescerent, illorum laxitates oleoso liquore instruxit Natura. Unguen istud squamularum interstitia subit & occupat; sic præcavetur fragilitas, cui obnoxia fiunt ossa, quando medulla absumta aut depravata est. Eadem est igitur in ossibus, quæ in aliis partibus nutriendorum staminum natura; idem alibilis succus, qui eodem modo, licet citius, apponitur & accrescit.

Ergo eadem est in ossibus, quæ in aliis partibus nutritionis ratio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI

M. Carolus Payen,
Alicus præses.

M. Gaspar Cochon Dupuy,
in Arce Maritimâ Rupifor-
rensis, Anatomæ, & Chirurgiæ
Professor Regius.

M. Ludovicus Lemery, Me-
dicus Regis Ordinarius, Re-
giæque Scientiarum Acade-
miæ Socius, & in Horto
Regio Chymici Professor.

M. Henricus Guyot.

M. Jacobus - Franciscus Van-
dermonde.

M. Petrus le Tonnelier.

M. Tuffanus - Gilbertus
Boulland.

M. Adrianus Malaval.

M. Nicolaus Andry, antiquæ
Facultatis Decanus & Le-
ctor Regius.

Proponebat Parisiis, JOANNES MIDY, Lemovicensis,
Baccalaureus Medicus A. R. S. H. 1736.
à sexta ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1736.